3

IN HONOREM
BEATI IACOBI
SALOMONII ORD. PRÆD.
PATRITII VENETI.

ORATIO

Habita Romæ in Templo S.Mariæ ſuper Mineruam, ad Illuſtriſsimos, & Reuerendiſsimos S.R.E.Cardinales, & Romanum Populum.

A D. PLACIDO FILINGERIO CLER. REG.

Die 6. Octobris 1622.

Cum primo eius in tota Dominicana Religione feſtiuitas, ac ſolemnitas publicè celebraretur.

AD PERILL. ET REVERENDISS. D. D.

CÆSAREM BARTVRELLVM
FORLIVIORVM ANTISTITEM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

BRACCIANI, Ex Typographia Andreæ Phæi. MDCXXII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Imprimatur. Lucas Ricciottus Archipresb. Bracciani, pro Reuerendiſs. Epiſc. Sutrino & Nepeſino.

Imprimatur. Fr. Vincentius Martinellus Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Magiſtri.

Digitized by Google

PERILL^{M}. ET REVERENDISS. D.

D. CAESARI BARTVRELLO FORLIVIORVM EPISCOPO.

ANDREAS PHAEVS F.

NVlli vnquam alio, Perilluſtris, & Reuerendiſſime Præſul, quam tuæ Dominationi Beati Iacobi Salomonij laudes, eiuſque Religionis encomia æquius, ac melius dicanda eſſe quiſquam putabit: Quia ſi quæ alicuius ſunt

Digitized by Google

ipſi reddere eſt debitum; ita Forliuiorum Patronum ac Ducem Forliuiorum Pręſuli, ac Paſtori reddere quis non cenſetur? Et Religionem illam, quam gratijs, & fauoribus lucratus fuiſti; modo laudibus elatam, ac eloquentiæ donis ornatam, tanquam fructum, tibi deberi non omnes iudicabunt? Id cenſuit, hoc iudicauit, vtrumque voluit Ad. R. P. F. Lucas Caſtellinus Theologię Magiſter, ac Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, qui iuri ſatisfacere cupiens, mihi & Reuerendiſs. tuæ Dominationis, & Dominicanæ Religionis ſeruo, debitum hoc perſoluendum impoſuit, vt modo pro viribus exequor. Vale.

Digitized by Google

ORATIO.

HAC luce B. Iacobi Salomonii fulgente ſplendore, virtutis, & gloria Beatitatis, cum poſcat Purpurati Conſeſſus Maieſtas, Auditorum amplitudo non incompti ſermonis Oratorem, qui non metuat aut erubeſcere de purpura, aut de grauitate pallere, adhuc dicendi munus iure, & Coelo adiudicante, mihi primo impoſitum nulla potuerunt fata præripere. Illuſtriſſimi Cardinales, Romana Gens Vrbem hanc totam ampliſſimam perluſtrare; nullus præſto fuit oneri aptior, Salomonii laudibus accommodatior. Optimos Oratores adite, eruditos conſulite, monumenta ipſa aperientes Ciceronis, Priſcorumq; Oratorum ſpiritus reuocate; Inter omnes vni mihi oratio debebatur. Seligite ex iis omnibus vnum, ac primum prodeat, narret, amplificet, oratoriis inſtructus luminibus, plaudat Populus, miretur, roſa loquatur. Ex aduerſo ſiſtat ipſe ſcholaſticæ aſperitati aſſuetus; Non eloquentiæ ſuauitati, lingua rudis, memoria hebes, actione lentus. Vnde putatis maior erit Salomonio laus? Non Oratoris illius eloqui laudi erit, ſed meum loqui. Statim enim per Vrbem miraculi rumor emanabit quomodo Salomonius ille, qui hyeme collegit roſas, vitam mortuis inſpirauit, cæcis pulchritudinem lucis detexit, linguas perpetuo ſilentio cohibitas relaxauit, hac ipſa die ſolemnitatis ſuæ in celebri Mariæ ſuper Mineruam delubro coram Illuſtriſsimis Cardinalibus plenoque Conſeſſu, miraculum ediderit, muto

elingui,

Digitized by Google

elingui,aut eloqui dederit, aut loqui, mox ſuum effecerit Oratorem; Ac nouo prodigio rigente hyeme infęcundæ eius geliditatis roſa proloquens ſit viſa audita. An forte Deum tentare, ad miracula adſpirare nefas? Te Salomonium Patrem aduoco, quod ſi miracula negauerit Coelum, Amor non negabit. Mutus Croeſi filius paternæ mortis periculo loquutus eſt, monuit ne periret. Cur lingua impedimenta non ſoluet, ne Patris mei Salomonii fama depereat? ſed forte abnuetis ſic. Cur te Patrem iactas habere Salomonium? Nonne Dominicanus ipſe? Dominicanus equidem ideo meus; non ne Pater noſter Dominicus? Dominicanam familiam matrem agnoſcimus, veneramur. In matrum gremio caput reclinant Infantes, vbi placidus aduolat ſomnus cantuum modulatione conciliatus. Ecce huius familiæ gremium, ſepulchrum inquam, vbi Paulus Quartus Pontifex noſtræ Congregationis caput dulci mortis ſomno ſuperfuſus reclinatur; Mater ergo eſt, ſiquidem, & caput noſtrum ſuo gaudens excepit ſinu, & Matrum more quotannis beatum ſomnum, ac requiem ſuo canit Infanti. Quis ergo meum patrem Salomonium appellare vetet? vt parenti laudes ſoluam, muta lingua ſoluatur. Tantum virum Coeli prodigium mirabilem Patria, ſanguine, profeſſione, actione breui oratione perſtringamus; In tanto autem fulgore laudati deſpiciantur lumina laudatoris, vileſcat impunè ſtylus, vbi natiuè ſplendet argumentum.

Diuina mens Animum hunc Salomonii Terris immiſſura Vrbium vnam tanta prole illuſtrandam, huius gemmę anulum, aut Solis ſphęram delegerat; ſed qualem, ac quantam audite. Vrbs Regina maris, Vrbium Domina, liquido aquarum ſedet in ſolio, cui mare muri,

vnde

vndæ ſedes,aquæ theſauri, Venetias dico. Calcat hæc mare veſtigio, premit Imperio Terras, non grauatura, ſed firmatura. Ars æmulata eſt naturam; Naturæ miraculo Salamandra in igne viuit: Artis prodigio Venetię in aquis degunt. Natura Phęnix ſeneſcens ex igne, & cinere refloreſcit, ſed Coeli artiſque vi Prouinciarum Phaenix Italia, cuius nobilitas barbaro attrita eſt ferro non ex cinere, & igne, ſed ex aquis, & arenis in istam Vrbium Phænicem Venetias reuixit. Auium Phænix nidificat in ſyluis, Vrbium Phęnix ędificat in aquis Vrbs Phęnix orbis vnica Purpura clara auro pellucens, imperio prima, liberi antiquitate Dominii Phænix ſimul, & fælix. Hanc Vrbem orientem argentea aquarum incunabula ſuſcepere, ſuis Tethis lactauit vberibus: Vndæ murmure Syrenes cantibus Infantulæ imperatrici conciliauere quietem, quæ procedentibus annis facta eſt fidei præſidium, Conſilii, belliq; magiſtra, Barbarorum frænum Romæ Reipublicæ dignitate ſoror, fide filia, Theſauris ęmula, ſenatu collega, Imperii firmitate fælicior. Bis Roma eſt antiqua, & recens, præteritæ Romæ retinet Reipublicæ formam pręſentis, ſequitur fidei veritatem. Armis potens rugit læena myſtici Leonis ſponſa ſimul, & ſoboles; Maria terrentur, & terræ. Armis multa poteſt, induſtria cuncta, quo leonina non valet, certi conſilii vulpina pertingit. Quid plura? Non talia habuit Aeraria Indus, arma Roma, conſilia Athenæ Venetorum Senatus Conſeſſus eſt Licurgorum, atq; Solonum. Sed ò Beatam Vrbem, quo tua eſt cuncta felicitas inter tot Solones, vnum quoque obtines Salomonem, vt quæ per primos non eras Athenis inferior, nec de ſecundo Hieroſolymæ inuideres. Hæc aquarum Ciuitas Bethſabeæ fuit non adultera, ſed vt aiunt,

inuio.ati

inuiolati Virgo Dominii. Quæ vt vidit Regiæ domus O-lympicæ cardines perambulans Diuinus Dauid non ſuper ſolarium,ſed in arenis Adriatici Aquis ſua membra lauantem, voluit noſtrum parere Salomonem. Inter aquas naſcitur, mox in aquis renaſciturus. ex Vndis ſurgit, precum cantu ſyrene, animi firmitate ſcopulus, cordis candore margarita futurus; Oritur ex aquis, vt nec vllo natiuitatis affectu detineretur in Terris. Ex aquis nouus Achilles contra Inferos pugnaciſſimus egreditur. Ex aquis hauſit humorem, quo lachrymas funderet, quo lauaret animum, quo purgaret affectum, quo extingueret fomitem, quo virtutes aleret, quo ſapientia repleretur. Ex aquis tandem, quaſi ex Oceani ſinu ſol nouus egreditur, cui orienti nec defuit Auroræ rubor,& claritas,a clariſſimae Venetæ purpuratæ Nobilitatis ſanguine ſuum traxit ſplendorem.

Oritur Beatus noſter ex Clariſſimo Patritio Adamo Salomonio: fuit Pater Adam, quia innocens futurus erat filius Abel, ipſas quoque ætatis ſuæ primitias Deo oblaturus. Ex Adam communis Parentis nomine naſcitur; omnes tamquam fratres Charitate proſequuturus; vt ſi vnus Adam ſcientiæ fructum miſerè decerpſerat, alter Adam Salomonium ſapientię germen fælicius generaret, Vt ſi ille Adam Salamonium e terreſtris Paradiſi fęlicitate depulerat, iſte Adam Salomonium Venetiis gigneret, non Terrę, ſed Aquarum Paradiſo; quem non Cherubim flammeo gladio ſtricto, ſed natura aquarum Vi perſtricta munit atque cuſtodit, ne barbara fera diripiat. De Salomonia ſtirpe natus eſt Salomon mox futurus, qui veteri Salomoni pręcelleret diuitias non cumulans, ſed tumulans; qui non Terra, marique diues dilataret imperium, ſed ſui cordis domitarumque

paſſio,

paſſionum humile obtineret obſequium, qui non integrum matri filium ingenii ſagacitate redderet, ſed totum Deo cor animi ſinceritate prçberet. Cuius Thronus non multis leunculis eſſet inſignis, ſed vno Veneto leone; Ad cuius ortum Reſpublica potuit ſuo laeta decantare leoni; Pax tibi Marce, pacificus tibi natus eſt Salomonius. Salomoni diuinus ſpiritus ſapientiam infudit fateor; ſed de Salomonio noſtro quid recenſet hiſtoria? Pluries Columba viſibiliter ſuper humeros eius ſtetit ad aures alloquutura Spiritus ſanctus in columbç ſpetie viſus eſt, Salamon miris modis iudaicum extruxit templum, ſed quo humanis diuina, viſibilibus inuiſibilia prçſtant eò ſanctius, atque auguſtius ſeipſum diuinitatis delubrum çdificauit Salomonius. Huius myſtici Templi fuere forma prudentia, menſura iuſtitia, proportio temperantia, fundamenta humilitas, parietes fortitudo, ſpes, Porta oris cuſtodia, feneſtrç ſenſus, columnç virtutes, malogranata pudor, lilia candor, çneum mare lachrymç, Menſa ſacer panis, vaſa munda membra, cedri odor fama, aurum amor, ignis zelus, thura preces, candelabrum fides, oleum pietas, victima cor, altare pectus, ſacerdos ſpiritus. Atrium ſenſus, ſanctuarium operatio, ſancta ſanctorum contemplatio, Velum caſtum ſilentium, ſub quo arcam Virginis virgam Crucis, manna Euchariſtiæ dulcedinis, iugi deuotione ſeruabat, ſic dirutum Salomonis Templum maiori gloria Salamonius in ſuo pectore inſtaurauit. Quid video? recte ne lilium geſtat in manibus, victoriç inſigne Salomonem vicit mulieres illum corruperunt, Salomonium virginitatis candor illuſtrat. Subſcribite, nec Salomon in gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex his. Quid deficit? vnum tibi Salomoni deeſt diues lin-

gua laudatrix, quæ inſtar Reginæ Sabæ, eloquentię au rum, & honoris Sabaea thura digna numini, ac famę tuę tributa deferret. Annos, quibus extra clauſtra vixit Salomonius noſter ſacrorum ſtudio Mariæ cultui, altarium erectioni dicauit. Adhuc puer (liqueſcit animus) erat ſuorum delitię, exterorum admiratio, Vrbis oculus, Sereniſſimæ Patriæ noui ſplendoris certa ſpes. Florida noſtri Beati iuuentus campus eſt florum è quibus poſſet dulcia eximiæ ſanctitatis argumenta, apis verè argumentoſa deſugere, niſi ad grauiora properaret oratio.

Sextum decimum agebat annum, cum ſolutis ſæculi inuolucris Dominici induit habitum qui iam induerat virtutem. In hac familia quid factum putatis de Salomonio Vbi Salomones euadunt de Abſalonibus? Dominicanum cætum hic laudandum non aſſumo cuius claritas, vel aethera caligine poſſet offundere; Onus eſt tempori impar, & viribus. Huius Religionis ſæcula connumerantur Pontificatibus, luſtra Cardinalatibus, anni ſanctis, dies prædicatoribus, horæ confeſſionibus, momenta miraculis Vrbes Inquiſitoribus, capita Doctoribus, cænobia Paradiſis. Coelum eſt, cui nulla lumina mare, cui nulla flumina deſunt dignitatis doctrinę, ſanctitatis, & gloriæ. Tantę Congregationis Beatos enumerare non aggredior, ne putetis ſupputationem compleſsè, cum cęperim, aut ſtultè cępiſſe complere cum nequeam. Quos hic commemorem Dominicos, Aquinates, Petros, Antoninos, Hyacintos, Raymundos, Bertrandos, Ferrerios, Agnetes, Catharinas, Benedictos, Nicolaos, Ioannes, Bartholomeos, Iacobos, Matheos, Andreas, nomine, & Spiritu Apoſtolos? Si ſtamus. Quot ſunt? Quot Beati ſunt Dominici filii? magnum aliquod cogitate, diuinantes dicite. Centum. O mirum. Vnius

Beati

Beati fulgore, ac nomine vnaquęque ſatis eſt decorata Religio, & hæc centum habet? tamen dixiſtis paucos. Cogitate plures. plures? Ducenti erunt? addite. trecenti? Quadringenti? Quingenti forte? Inſuper. Et quot? ſexcenti? Nongenti? vlterius. mille?plures ſunt. Innumerabiles? planè. De coeli ſyderibus dictum accepibus Numera ſtellas ſi potes,ſunt autem mille viginti duæ. Dominicani Beati plures ſtellis Coeli. plures volunt quam duo millia, & octingentos. plurimis ſuperſtant ſtellarum calculatione. O Dominicanum Coetum Coelo ipſo fulgentius, cuius ſeptem planetae ſunt canonizati Sancti Luna Maris Domina fuit Raymundus ſuper mare gradiens Mercurius fidei facundus Praedicator,ac teſtis Petrus martyr. Venus venuſtus flos ſanctus Hyacinthus. Sol Aquinatis locatur in pectore. Mars ille eſt, qui victoriam, & ferrum nomine geſtat Vincentius Fererius. Iuppiter Dominantium planeta Dominicus.Saturnus moeſtus,& lentus Bertrandus, qui lachrymoſus ad canonizationem adhuc non peruenit, nam tardo gradus eſt planeta,ſed proxime accingendus pro accincto habetur. Firmamentum cuius notae magnitudinis ſydera mille ſunt,& vigintiduo;coetera autem Coelo diffuſa, ac in lacteam viam coagulata penè innumera eſt tota Religio, cuius fulgentiora ſydera Beatorum duo millia dicebam, & octingenta, ſed coeteras ſtellas enumerare quis audeat? Candidum habitum Religio geſtat,vt noſcas viam lacteam luminum numero aemulari,magnitudine ſuperare.O magnum coetum, ò Religionem verè natam labenti ſuccurrere Vaticano. Quantum laboribus, ſtudiis, ſanctitati, foecunditati tuae tota debet Eccleſia? Tibi ſacri Palatii magi-

 ſtrae,

Digitized by Google

ſtrae, Romanae ſedis oculo, quo cuncta legit, inquirit, vt quod tu probas inoffenſum ſit, quod reprobas ſuſpectũ. Tu fidem tueris, tu haereſum monſtra fugas, tu Diuinam gratiam defendis, amplificas; ſed pace tua inclyta Religio, magnum opus compleuit non Salomon, ſed Salomonius. Religio haec myſticus videtur Ezechielis currus cum nube, ſplendore, animalibus aere, pennis, manibus, oculis, ac fulgure. Nubes eſt Virginis protectio, ſplendor ignis doctrina, aëra ſonantia ſunt Praedicatores, cuius alae ſunt contemplatiui, manus actiui, fulgur diſcurrens zelus, oculos habet cuncta luſtrantes Inquiſitionem. Ad currum hunc trahendum myſtica Animalia Aquila Hiſpana Dominicum miſit, Campania Taurum mugientem Thomam, Venetus Leo Salomonium. Hominem vero non deſigno, non enim video An Petrum, an Vincentium, an Hyacinthum an aliu m quempiam huic loco conſtituam, non ſunt in hac familia Diogenis lucerna Homines inquirendi, quot fratres, tot Homines, tot Viri; quod ſi monſtrum aliquod tempora gignunt, monſtrum erit exceſſu humanitatis, atque ſcientiae.

O verè Dominicam Regiamque Religionem. Cui Regium illud aptatur. Cuius ſunt optima quaeque? Optimum è Coelo ſolem carpis, quem Aquinas geſtat in pectore. Ex elementis optimum ac primum ignem Dominici catulus ore praefert, e pratis florem legis Hyacinthum, e gregibus candidi velleris agnam Agnetem, e maribus Mariae protectionem, e Virginibus Catherinam, e Martyribus Petrum fere antonomaſia martyrem appellatum, e Doctoribus Angelicum, hoc ſuper erat de Sapientibus habere Salomonem. At mentem dubitatio pulſat. Beatus noſter non Salomon, Salomonius dicitur.

Salo-

Digitized by Google

Salomoniae ſtirpis eſt. At nõ obeſt. Salomonius ſanguine, Salomon profeſſione; Religioſus eſt qui triplici voto à ſe IVS abdicat in corpus caſtitate, in diuitias paupertate, in libertatem obedientia. Salomonius erat. Religione amiſit IVS factus eſt Salomon. Contendis? Quid? Salomonius eſt appellandus non Salomon. Age ergo plus quam Salomon hic. Salomoni IVS defuit, pacem obtinuit, IVS non ſeruauit, Beato noſtro IVS addatur pacem obtinuit, & IVS Salomonius, imo ius ſuperauit, conſilia aequauit. Heu qua temporis anguſtia vix oriens ad occaſum vergit oratio. Circa indiuiſibile temporis centrum cuncta agglomerare compellor.

Quam praeclara, ac ſanè mirabilia religioſus geſſit Salomonius. Vt hinc exordiar. Quae fuit eius aſperitas? Quanta ieiunia? Septenorum menſium quotannis. Quis potus? Moriens ipſe teſtatus eſt ſe quinquaginta annorum curriculo interdiu tantum quinquies e potaſſe vrgente aeſtu, labore, ſudore. Quis lectus? paleis confertus, ad cuius duritiem infringendam per decem, & octo Annos paleas nunquam verſauit, commouit.

Quid tibi Salomoni, & paleis? vbi iaces clariſſime Venete? Viden? Eccè aurea redierunt Sæcula. Venetus Leo quaſi Bos non comedit, ſed decumbit in paleis. Quid tu hic? In lectulo inquit meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui illum & non inueni; ac ideo Bouis more iaces ſuper paleas? Hoc inquit ſtratum dilecto placet, qui pro me, naſcens in præſepio propè Bouem voluit ſuper paleas reclinare. De lachrymarum copia quid attexam? Obſtupeſcit memoria, veſtes exprimere, Altaria ſpongijs exſiccare, pauimenta detergere à lachrymarum eius alluuione expediebat. Quæ fuit oris cuſtodia? graue, Roma, ſpecta-

culum,

culum, viuum erat ſilentium loquedi forma, nil in verbis adulatione molle, deriſione aſperum, ira fractum iactantia leue, perfectus erat vir. Caſtitatis præconia vno verbo concludam; adoleſcens obeunte Patre, abeunte Matre nobilis diues Venetijs relictus per octuaginta trium annorum vitam virgo permanſit. En quanto Salomone maior eſt Salomonius. Quid de delicijs ſubnectã? Viden in vrbe columnam nec aeſtus rabiem, nec frigoris dira ſentientem Salomonij effigies eſt, nec hyeme calefieri ſtudebat, cordis ardore corporis gelu reprimente, nec æſtiui Leonis furore excandeſcente auram captabat, calorem ſentiens; imo non ſentiens, quia intus exiſtens prohibebat extraneum, & ſegnior fuit æſtus qui foris vſſit, quam qui intus accendit. Quæ autem paupertas fuit? erat veſtis rudis, cilicium nouum, commoda nulla, diuitijs pauper, paupertate diues, defecere omnia, ſuffecit ſibi. Sed orationis ſuauitatem ac vim oratio mea complecti cum nequeat, vnum tantum ſed iucundiſſimum euentum attendite. Cordubae ex Aciſdi, & victoriæ martyrum ſanguine roſæ mirabiliter germinarant; id Salomonius commemorans ſpiritus ſuauitate meditabatur, hyems erat, horrebant cuncta frigore, cum inter nudas ſpinas recentem roſam videt, miratur, accedit, folia palpat, carpit, olfacit, oſtendit, ſtupor omnes prehenſat. Ergonè brumali tempore roſæ? purpuraſcens florum Phænix ſuauibus veris igniculis naſci aſſueta ex hyemis niuibus ad tanti Solis obtutum reuiuiſcit? Oratores ſuauiſſimos roſas loquentes adagia nuncuparunt. Quàm dulce noſter orauit Salomonius roſa loquuta eſt, roſa eo orante effloruit. Patientiam eius quali attollam encomio? Spectabilis fuit conſtantiae prodigium aduerſis vrgentibus numquam facies viſa eſt

in diuer-

Digitized by Google

in diuerſa m utari. Omnem naturæ exceſſit comparationem. Tellus vere floret, hyeme riget, aër luce fulget, nube luget, mare leues ſuſurros horrendoſque rugitus alterna vice commutat, Cœlum conſtanti Aſtrorum vertigine circumrotatur, labori ſomnus, ſereno nubila, æſtibus pluuiæ iugi rerum commigratione ſuccedunt, Solus Salomonij vultus ſemper idem perſtitit. Socraticam Philoſophiam ſanctificauit, Supra naturæ nobilitatem, ac mobilitatem immutabilis; Diuinitatis eſt participatio. Olympi montis vertex æterno Vere gaudet, ventorum furore non quatitur, illac fera non graditur, frontemque ſerenam attollit ſupra nubium ſedem, temporum non ſubditur viciſſitudini. Talis Beati mens ac vultus ſublimibus Cœlorum faſtigijs hærens ſupra caducarum rerum ordines ac vices euectus nullo fortunæ euentu potuit commoueri, non ei humana pericula imminent, qui nouit humanis omnibus eminere.

Charitatem celebrare meæ linguæ non eſt tanto fulgori noctua cæcutit, non ſubſiſtit inter ardores calamus, areſcit lingua incendijs. Hoc fuit Beati ſtudium ſe odiſſe, alios dilexiſſe; Pauperes fouit, ſe detexit, quæſiuit roſas alijs, ſpinas ſibi, vult alijs riſum, ſibi luctum, lætus patitur, compatitur triſtis, cibo pauper, pauperi cibus, ſibi nudus, nudis veſtis, ſui hoſtis aliorum hoſpes, gelat intus ſibi, ardet alijs foris Aethnæa miracula commutantur; Aethna ignibus repletur intus, niuibus operitur extra, At hic ſibi odij gelu riget, exteros charitatis flamma reſtaurat. In vrbe Forliuienſi quis Pauperum curam gerebat? gerebat Salomonius, Conſilijs opem ferri cupiebas? ferebat Salomonius; præſens optabas, domeſticumque oraculum quod conſuleres? conſulebas

Sa-

Salomonium;oppreſſis mulcebatur animus ? mulcebat Salomonius; Cœli ope factum eſt, vt ad Salomonium nemo triſtis acceſſerit, triſtiſque receſſerit. Adoleſcens quidam iniquis fatis (quid dixi?) Dei prouidentia oculis captus eſt, ſed vexatione intellectum augente corporis oculos mentis lumine permutarat, ſæpius tamen animi angore ſuffuſus ſuſpiriis, lacrymis cordis mærorem exhalabat, oculi deerant ad lucem aderant ad lugendum; Salomonius non Aulas Principum pertentans, non Diuitum ſcriniis inhians; Pauperum Pater, & Comes ad Coeli iter, ad coecum pergit blandè rogat, quid hic? quæ tua animi conditio? miſera pauper inquit. Quare? Coecus ſum. gaude fili Salomonius ſubdit. At quale gaudium Coeli lumen non videnti? vides ſubnectit Salomonius, dic mihi ante quam lumine orbareris, adeo frequens Verbum Diuinum audiebas, orabas? non. Et quod lumen amiſiſti? frontis. Quod acquiſiſti? Cordis. Vtrum præſtat? Cordis vtique. Oculos ergo inquit non perdidiſti, ſed commutaſti, non defluxere lumina, ſed ad mentem ſe contraxere. Taliter blanda verba miſero cordi ſe infudere, cum lætitia coepit vigere, cor ex acri in alacre commutatum. Vertitur luctus in chorum exultans ſurgit, qui ſedebat in tenebris inter oculorum caligines oborta hilaritatis luce feſtiuo cæpit carmine cæcitatis elogia decantare, cum videntibus non video, ſed nec videntibus inuideo. Quo autem Salomonii charitas peruenerit. audite. Coecorum eſt preces vſque ad aurium vexationem decantare, lugentium oculorum defectus infatigata lingua compenſatur abundè. Magnus vir Salomonius, vt nouit coecum ſuas non didiciſſe cantilenas prope ſedet preces docet. O ſpectaculum coeli dignum obtutu, Angelorum, ac

Dei

Digitized by Google

Dei ipſius aſpectu. Venetus clariſſimus, grauis ſacerdos ætate maturus, omnibus notus, in vrbe Clarus, qui ſenibus conſilio, iuuenibus reuerentiæ. Iuſtis ſolatio, Iniquis timori, cunctis venerationi erat, iuxta coecum ad templi fores, humi ſedet, cantilenas docet; amor muſicam docet, amor coecus coecum conſolatur. Amor pauper eſt Pauperes quærit, humi ſedet non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur maieſtas, & amor. Sed age ad amoris inſignia argumenta properemus. Sapientiſſimus Deus, qui ſuos, quoſque charos amoris ictibus ferire conſueuit magnam in Beati noſtri pectore ſciſſuram aperuit, quam Iacobus Iobo patientius tulit. Ecce plagatum eſt Salomonii pectus aperuit viuam pectoris arcam Deus, vt amantis cordis panderet theſaurum. Salomonii cor diuinus amor iugi inuaſione concuſſerat, quouſque diruto pectoris muro, victor amor irrumperet, & fulgida charitatis vexilla in arcem cordis inueheret. Cor quod ad Deum euolare tentabat, pectoris clauſtra dirupit. Cor latum, ac vaſtum feruens oceanus pectoris ſui dilatauit anguſtias, ardenti cordi ſpiraculum prouidit Deus. Cor ſincerum toti mundo Socratis feneſtra ſciſſo pectore voluit aperiri. Iugiter circa cor iaculatus amor, lato pectus foramene circumfodit: ſecreti amoris incendium. aperta voragine erupit, ſeruatoris pectore lancea aperto Salomonii pectus aperitur, vt per foramina eorum corda mutuo delectentur obtutu. Canunt cuncta animantia ore, cicada tantummodo pectore, ſolis radiis accenſo ſinu. Salomonius, vt non tam ore, quam accenſo corde oraturus caneret, in pectore os plagę aperuit, vt ſic Deus cicadæ canentis orationem exaudiret. Quadam die mirabiliter Deus clauſas fores Salomonio intrare tentanti reſerauit; &

Digitized by Google

Salomonius Deo ad cordis oſtium pulſanti natiua pecto-ris clauſtra voluit aperiri. Os linguæ, caſtum ſilentium obſtruit, os cordis amans oratio pandit. O plagam, ò plagam, tu me plagaſti. Tandem, vt Iobo ſimillimus Iacobus euaderet, cæpit plaga vermiculos, (cogitate quo dolore) generare. Quo me fata vocaſtis? inter tot Salomonii fulgores, ac mirabilia de hac plaga præ-cipuè me loqui oportebat. Salomonii fulgorem ſolis iu-bar obumbrantem, aſpiciant cæcorum oculi quos ipſe illuminauit; Ad Salomonii laudes mutorum ora ſoluan-tur, quæ per ipſum à vinculo ſunt ſoluta. Relinquo eius lumen Aquilæ, laudes ſyrenibus, candorem cygnis, ſuauitatem apibus, immortalitatem phænicibus. Ego vermiculus ſecreto ſubſerpens per ſacrarum veſtium rugas in plagam iſtam ſubrepere auſus ſum. Noli Beatæ, noli vermiculum hunc abiicere, pectori plagato ad mo-tum, tu vermi humilitate te comparaſti: Recordare ſer-uatorem noſtrum ſe vermium cibo exhibuiſſe. Hic ia-ceo, hic figor, Vermis ſum, & filius ſum; plaga hæc eſt, & pectoris plaga, porrige vermi plagam, filio pectus, ſic lactabor ab vbere, & paſcar ab vulnere, peccator acceſ ſi, ſed ſi fuerint peccata mea quaſi vermiculus, quaſi lana, & nix alba erunt, puro cordis cruore dealbata. Quis ſcit ſi è vili terrę vermiculo ad tantũ cordis ardorẽ quod ignei amoris ſphæra eſt, nobilis Pyralis euadam? ſcit Quis ~~ſit~~ an ex cinere, & vermiculo vilitatis meę ad tui cordis fæcundos radios euolem in phęnicem. O plagam ò plagam.

Reliqua vitæ, & præcipuè mortis inſignia afferre iuxta præcepta deberem, niſi ad occaſum concita properaret oratio. Tandem poſt eximia virtutum ope-ra, poſt patrata mirabilia, pauperum Pater, cœcorum ocu

lus

lus, triſtium lætitia, Forilinienſis ſolatium, Venetiarum gloria, Italiæ decus, Dominicanæ ſtyrpis germen inclytum morte matura ſibi, immatura nobis octuagenario maior, canitie cygnus ad fluminis ripam, ideſt ex hac vita commigraturus dulci precum cantu candidi ſpiritus alis euolauit. Abijt in Cœlū animus, reliquit Foroliuij ſacrū cadaueris pignus, pignus amoris. Vrbem iſtā Foroliuienſem celebrare ab antiquitate à claritate ab ædibus, à triumphis à fluminibus ab aere, ab ingeniſs, à copia cum poſſim ſilentio cuncta, vt minima prætereo; magnū hoc extollo, ac ſuſpicio amplæ Vrbis argumentū, quod Salomonius patria relicta illi corde animo incolatu adhæſerit viuus, relictus ſit mortuus, vt fuerit viuenti domus, obeunti mauſoleum Beato Templum. Eia actum eſt glorioſè migrauit, qui ſanctè vixit. Mortem gloria ſequuta eſt, conſpiceres confluentem Populum, commotamque Vrbem vndique accurrentem; adhuc in humatum corpus miracula coaceruare videre cæcos, audire ſurdos, erigi curuos, fractos ſolidari gaudere vniuerſos mortis dolorem, lætitia gloriæ conſopire ſepulchri eius gloriam vnico verbo explanabo, ſi illud vitæ, ac ſalutis puteum nuncupauero. Mulier inſanabiliter ægra ad tumulum accedit, funiculum immittit, qui de Beati corporis tactu ſalutis hauriret aquam; Vim quaſi ponderis ſentit, plenum erat vas, vi funiculum trahit, admouet ſanatur; En qui Salomonium inuenerit, inueniet vitā, & hauriet ſalutem à Domino. Sed ad plagam illam redeo. Defuncto Salomonio pectoris plaga obſtruta eſt nullo cicatricis veſtigio. Hic oratio ſiſtat, in hoc vulnere ſepeliatur. Non recolo Beate Pater roſam, quam hyeme legiſti, ſed roſam hanc inter niues candidi pectoris germinantem; non columbam ad aures alloquentem, ſed

quod Deus, vt loqueretur ad cor tuo in pectore aurem aperuerit. Non ſoluta ora mutorum, ſed quod aperto pectoris ore Deo ſis ex corde loquutus. Non quod mortuis vitam largitus ſis, ſed quod patulum cor, vitæ fontem, cunctis oſtenderis. Non miracula innumera, quæ Foroliuij proceſſus vſq; ad *triginta, & octo connumerat ſed plagã, plagã hanc fateor, cũ video, inuideo. mirabilem, clarum Venetiarum tuæ patriæ gloria, Salomoniæ ſtyrpis clariſſima nobilitas, Dominicanæ familiæ Heroum diuorumque fæcunda profeſſio. Omnium virtutum culmen. Te Beatum reddidere, ſed infixam a tuo dilecto plagam, nequeo recolere, & non mirari. Vtinam perpetua hac ſacri vulneris profunditate abſorbear.

*trecẽta

Romæ vorago aperta antiquitus fuit, monuere oracula nunquam claudendam, donec in eam quis iniiceretur; Iniecit ſe Curtius obſtructa eſt. Vorago hæc Salomonici pectoris claudi mihi nunquam potuit ali quod iniiciendum erat, & orationem meam, & me ipſum mergo ſacro cordi conſepeliendum, ſic, & plaga claudatur, & oratio concludatur.

Digitized by Google